

constitut. incip. *Inter gravissimas*, de datis, et promissis pro justitia vel gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda, confirmans et amplians constitutiones ad id editas a Bonifacio VIII et Gregorio XIII, unde cum sit vere digna, ut ab omnibus sciatur, et admissim observetur, hic ad litteram datur.

§ 35. Confirmatio, innovatio, declaratio et extensio constitutionum Bonifacii VIII et Gregorii XIII, de datis et promissis pro justitia vel gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda.

« ALEXANDER Papa VII, etc.

« Inter gravissimas multiplicesque curas, quæ ex debito pastoralis officii humilitati nostræ divinitus commissi Nobis assidue incumbunt, illam peculiari studio amplectimur, ut justitiæ et gratiæ expeditiones, quæ apud Sedem Apostolicam in dies obtinentur, ea, qua par est, rectitudine peragantur, ne pernicioso cujusquam circa illas excessu Romanæ Curiæ existimatio ullatenus lædatur; sed ipsa curia in omnibus præclara semper splendeat laude integritatis et abusus quicumque ab illa procul arceantur. Quapropter operæ pretium facturos Nos existimamus, si ea, quæ a nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris simili consilio provide sancita sunt, ut in posterum firmiter observentur, innovemus, illaque declarem et extendamus, prout in Domino arbitramur rationi esse consentaneum.

§ 1. « Dudum siquidem emanarunt a fel. recordi. Bonifacio VIII et Gregorio XIII, Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris litteræ tenoris qui sequitur. Videlicet: Excommunicamus et anathematizamus, ex parte Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli, et nostra omnes clericos, religiosos et laicos utriusque sexus, sive sint familiares curiæ, sive alii undecunque, qui aliquod pactum fecerint, seu aliquod parvum vel magnum promiserint, vel promissionem receperint, aut ex pacto, sive promissione occulta, vel manifesta facta sub generalibus, et plenarie non expressis, sive sit sub specialibus et expressis aperte verbis, quidquam dederint aut receperint magnum, vel parvum, vel promissionem de quacunque re, aut utilitate propter hoc consequenda fecerint, vel receperint pro aliqua justitia, sive gratia pro se aut pro alio in causis, vel iudiciis sive alias per litteras Apostolicas, et quibuscunque modis apud Sedem Apostolicam obtinenda.

§ 2. « Et hanc sententiam ad promittentes et acceptantes, dantes et recipientes duximus extendendam.

Illos quoque, qui aliquem sciverint culpabilem in prædictis, et nobis intra dierum trium spatium non retulerint, vel alicui, per quem ad Nos verbum fideliter perferatur, simili decernimus sententiæ subjacere.

Decernimus etiam, ut nullus hanc incur-

rens excommunicationis sententiam pro prædictis, vel aliquo prædictorum (absque speciali mandato) nostræ absolutionis beneficium valeat obtinere, nisi forsitan ad Nos habere accessum non posset in mortis articulo constitutus. Nec etiam ad absolutionis gratiam admittatur, nisi prius quantum dedit vel recepit, integraliter pauperibus largiatur.

Justitiam vero, sive gratiam sic obtentam nullius prorsus esse momenti volumus, omnique statuimus carere effectu et robore firmitatis.

Sed et scienter utentes ipsis simili sententia excommunicationis astringimus, et reservantes nobis absolutionem eorum cum præmissis in omnibus ad pœnas similes obligamus.

§ 3. « Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuum rei memoriam. Ab ipso Pontificatus nostri principio, quam maxime possumus, enitimur atque contendimus, ut domus, et curia nostra a sordibus expurgentur.

« Cui salubri consilio incumbens fel. rec. Bonifacius Papa VIII, excommunicavit et anathematizavit omnes clericos, religiosos, laicos utriusque sexus, sive familiares curiæ, sive undecunque alios, qui aliquod pactum facerent, seu quid parvum vel magnum promitterent, vel promissionem reciperent, aut ex pacto, vel promissione occulta, vel manifesta, sive sub verbis generalibus, et aperte expressis facta quidquam darent aut reciperent pro justitia sive gratia, sive pro se, sive pro alio in causis vel iudiciis, seu alias per litteras Apostolicas, et quibuscunque aliis modis apud Sedem Apostolicam obtinendam, et eam sententiam ad promittentes et acceptantes, dantesque, et recipientes duxit extendendam. Illos etiam, qui sibi intra triduum non renuntiarent eum, quem in culpa esse scirent, vel alicui, per quem ad se fideliter referretur, simili voluit sententiæ subjacere, ac decrevit, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam absque speciali mandato suo absolutionis beneficium valeret obtinere, nisi in mortis articulo constitutus, sed nec quisquam admitteretur ad absolutionis gratiam, nisi prius erogatum esset pauperibus, quantum ille dedisset, vel etiam recepisset, justitiæ vero seu gratiæ expeditiones sic obtentæ nullius prorsus essent roboris vel momenti, et scienter illis utentes simili sententia innodavit, ac reservavit sibi absolutionem eorum cum prædictis, et ad pœnas similes in omnibus obligavit.

§ 4. « Sed hoc scelus ita hodie in mores inductum est, ut plerique cupiditate improbi quæstus potentiorum suffragationibus adnixi, hujusmodi negotiorum expeditiones hæc illac conquiritur turpissime nudentur. Alii alios, quos gratia præstare arbitrantur, donis et pollicitationibus ambiunt. Quidam etiam se talium operam atque industriam pretio et muneribus quæsisse affingunt. Quæ cum pessima sint, et curiæ prædictæ existimationem gravissime offendant, in eos, qui talia agunt, animadvertendum

fore arbitrati, constitutionem prædictam cum suis censuris et pœnis omnibus innovamus, eademque omnes extendimus ad audentes qualescunque horum facinorum, quæ ascripsimus, dantesque illis et aliis supradictis auxilium, consilium vel favorem.

§ 5. « Quin etiam eos omnes omni beneficio et officio ecclesiastico, et sæculari sive temporali, perpetuo ipso jure privamus, ac privatos esse declaramus, et præterea infamiæ subjectos perpetuo, ac inhabiles ad illa, et alia esse volumus. A quibus etiam prout quæque res erit, tales pœnæ exigantur, quæ cæteris sint exemplo.

§ 6. « Illis tamen, qui rem adhuc incognitam, complices, fautores et socios detexerint, impunitas concedatur. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1574, Nonis Novembris, Pontificatus nostri anno tertio.

§ 7. « Cum autem subinde variæ vulgatæ fuerint prædictarum Bonifacii et Gregorii prædecessorum constitutionum interpretationes, quarum aliquæ ipsarum constitutionum rigorem, non sine earum utilitatis diminutione et boni publici detrimento, contra eorundem prædecessorum mentem nimium relaxant: hinc est, quod Nos omnem, quæ circa præmissa in posterum enasci posset, dubitationem tollere, et quæcumque speciem, suspicionem et occasionem damnatæ per constitutiones hujusmodi labis a curia prædicta, quantum Nobis ex alto conceditur, perpetuo excludere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione, nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine easdem præsertas Bonifacii et Gregorii prædecessorum constitutiones cum omnibus et singulis censuris et pœnis, ac aliis quomodolibet contentis in illis (sublata tamen revelandi obligatione) tenore præsentium perpetuo confirmamus, innovamus, et adversus quemcumque usum seu contrarium usum, qui quocummodo prætendi posset, restituimus et plenarie reintegramus.

§ 8. « Ac in eisdem constitutionibus casus, in quibus aliquid promittitur, datur, accipitur vel ponitur pro justitia vel gratia, sive in spiritualibus, sive in temporalibus, et mistis, apud Sedem prædictam, et non solum ab ipso Romano Pontifice, verum etiam a quibuscunque ejus ministris iudicibus et officialibus, etiam episcopis, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, et alia qualibet ecclesiastica, vel mundana dignitate et auctoritate præditis et fungentibus, aut ab aliis gratia, vel favore pollentibus, etiam eidem Summo Pontifici consanguinitatis vel affinitatis gradu quocunque conjunctis seu attingentibus, etiam laicis obtinenda in alma Urbe, aut in alio quocunque loco, in quo dictam curiam esse contigerit, comprehendi decernimus et declaramus.

« Præterea constitutiones hujusmodi, non tantum in actionibus jure naturali et divino prohibitis, quia malæ sunt, sed etiam in aliis, quæ ideo malæ sunt, quia jure hu-

FERRAR. VII.

mano, et prædictis Apostolicis constitutionibus, ac præsentis nostræ interdiciuntur, locum habere.

« Nec non mediatores, sive immediatos, sive mediatos, quotquot, et quicumque sint, et quavis dignitate, præeminentia, auctoritate, favore, consanguinitate atque affinitate, ut præmissum est, polleant et præfulgeant.

« Ac etiam promissiones, seu verba promissoria, dationes et receptiones factas ob bonum finem comprehendere, nec earum dispositionem ac pœnas evitari in casibus, in quibus cesset suspicio mali.

« Deinde illos etiam comprehendere, qui pro aliorum justitia vel gratia quomodolibet impedienda, vel differenda aliquid dant et recipiunt, vel deponunt, promittunt seu pollicentur, unde aliis damnum, vexatio vel molestia quomodocunque inferri et resultare posset, et mediatores quoscunque immediatos, sive mediatos.

« Insuper quæcumque verba seu signa etiam æquivoca, quovis modo apta inducere quæcumque obligationem justitiæ, aut fidelitatis in principali seu mediatore, etiam sub titulo remunerationis vel gratitudinis, a constitutionibus supradictis prohiberi.

« Quinimo non licere quidquam promittere dare vel accipere quibuscunque iudicibus, ministris, officialibus, et aliis auctoritatem, aut potestatem habentibus, nec quibuscunque mediatoribus pro defensione juris quæsitæ, sive assecutione quærendi etiam ad redimendam injustam vexationem, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine et tenore prædictis decernimus pariter et declaramus.

« Ad hoc dationes, promissiones et acceptiones pro guberniis vel aliis quibuscunque officiis et muneribus, etiam minoribus obtinendis, sive pro unica vice, sive in singulos annos, aut menses, vel aliter quomodocunque a constitutionibus prædictis interdicti, neque iudicibus, ministris ac officialibus pro gratia vel justitia obtinenda, etiam in his, quæ dependent ab eorum arbitrio, et ad quæ obligatione justitiæ non tenentur, quidquam dare, aut promittere, nec ipsis accipere licere.

« Neque etiam permissum esse officialibus vel ministris dictæ Sedis in provisionibus, sive earum occasione quorumcumque officiorum, etiam jurisdictionem, vel ejus exercitium annexum non habentium imponere pensionem ullam, responsonem, præstationem, vel onus, seu partem aliquam commodi, vel emolumenti ad sui, vel alicujus alterius cujuscumque favorem reservare absque expressa et speciali in casibus nostra, et Romani Pontificis pro tempore existentis licentia in scriptis singulis casibus ab utraque parte obtinenda.

« Insuper exigentes a partibus, vel aliis interesse habentibus, seu agentibus, ac mediatoribus quibuscunque pollicitationes, promissiones, pacta, vel recipientes aliquid sub assertionem, quod iudicium, ministro-

rum, officialium, aut magnatum, seu aliorum quorumcunque operam, auctoritatem, vel officia pretio, vel muneribus, aut promissionibus hujusmodi comparaverint, seu quæsiverint.

« Nec non pollicitantes, promittentes, offerentes, ac tradere tentantes, licet pollicitatio, promissio et oblatio non fuerint acceptata, neque traditio secuta, nullumque habuerint effectum.

« Ac etiam illos, qui ex eo quod gratias et favores ipsis ob familiaritatem, obsequia, ac servitia propriis dominis, vel aliis præstita debitos, seu ab ipsis speratos in aliorum cum propria ejusmodi juris vel spei jactura commodum, et beneficium transferunt, convertunt et impendunt, vel pro gratia seu justitia pro eis obtinenda aliquid recipiunt, sub memoratis constitutionibus contineri, illarumque pœnis, et censuris subiectos esse.

« Pro actuali vero labore circa expeditionem impetratorum non licere officialibus, curialibus et aliis quibuscunque recipere, nec illis polliceri, promittere, vel cum eis pacisci, nisi mercedem labori convenientem.

« Judicibus autem, officialibus, ministris quibuscunque, quibus incumbit expeditio gratiæ vel justitiæ, minime quidquam recipere, neque permitti illis polliceri, promittere, vel cum eis pacisci ultra taxas præscriptas, etiam ratione celerioris aut facillioris expeditionis.

« Quin etiam illicitum esse quidquam magnum, vel parvum judicibus, ministris quibuslibet offerre, promittere, pacisci seu polliceri, dare, vel ab ipsis recipere mediate vel immediate, etiam quod eorum animum movere non possit pro gratia vel justitia obtinenda.

§ 9. « Demum supradictarum constitutionum dispositionem, censuras et pœnas non censi abolitas vel sublatas ob scientiam, patientiam seu tolerantiam Romani Pontificis, per quemcunque etiam longissimi temporis cursum, nisi speciali licentia, vel indulto in unoquoque casu a singulis partibus in scriptis particulariter obtinenda, fuerint expresse remissæ, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine et tenore paribus decernimus, statuimus et declaramus.

« Præfatasque constitutiones, ac censuras, et pœnas in eis contentas ad omnes et singulos casus supra expressos, quatenus opus sit, extendimus et ampliamus.

§ 10. « Præterea easdem Bonifacii et Gregorii prædecessorum constitutiones per alteram piæ memor. Clementis Papæ VIII, prædecessoris pariter nostri, quæ incipit: *Pro commissa*, anno Incarnationis Dominicæ 1692, decimo octavo Kal. Septembris editam, ad cæteras ditionis temporalis S. R. E. civitates, et loca immediate subjecta (præterquam quoad bona communitatum) minime extensas fuisse, neque per hanc nostram extendi, sed eos quidem omnino comprehendere, qui in aliis locis ejusdem

status ecclesiastici, et cujusvis alterius partis mundi existentes pollicentur, promittunt, paciscuntur, mittunt, vel dari faciunt per litteras, vel mediatores, vel aliter quomodocunque, et qui ab eis recipiunt contra dictarum constitutionum dispositionem quidquam magnum vel parvum pro justitia vel gratia apud sedem prædictam obtinenda declaramus pariter et statuimus.

§ 11. « Postremo, tametsi credamus et speremus in Domino nunquam eventurum, ut aliquis ex venerabilibus Fratribus nostris episcopis, archiepiscopis, metropolitanis, primatibus et patriarchis, aut in quacunque alia etiam superiori ecclesiastica, quantumvis sublimi et speciali nota digna constitutis dignitate in præmissis quoquo modo delinquat; quia tamen diligentiam nostram in removendis ab eadem curia abusibus quibuslibet abundare potius, quam in aliquo deficere volumus, etiam episcopos, archiepiscopos, metropolitanos, primates ac patriarchas, cæterosque in quacunque alia etiam prædictis superiori, ac quantumvis sublimi et speciali nota digna constitutos dignitate, etiamsi per nostras et cancellariæ nostræ Apostolicæ regulas cautum sit, quod illi in constitutionibus per Nos editis et edendis, non comprehendantur, nec comprehensi censeantur, nisi in eisdem constitutionibus facta fuerit ipsorum expressa mentio, in prædictis constitutionibus, ut præmittitur, declaratis et extensis, ac in præsentibus nostris quoad censuras comprehendendi, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine et tenore similibus statuimus.

§ 12. Porro xenia solita, et esculenta, et poculenta, quæ judicibus, ministris et officialibus Romanæ curiæ exhiberi consueverunt, præfatis prædecessorum nostrorum litteris, ac præsentibus nostris minime prohibita fuisse, nec prohiberi decernimus.

§ 13. « Declarantes per præsentem nostram constitutionem similis record. Pii Papæ V etiam prædecessoris nostri contra ambientes dignitates et officia jurisdictionis administrationem habentia, eaque pretio seu promissione procurantes, quæ incipit: *Etsi Romani*, etc., Nonis Decembris anno sexto ejus Pontificatus emanatam, sed illam, ac cæteras ipsius Pii prædecessoris, et aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum quorumcunque constitutiones, ordinationes, canones et decreta in hac materia, vel circa eam hactenus edita, ac nostram et cancellariæ apost. regulam 67, qua statuimus, ut officiales Romanæ curiæ prædictæ nihil exigant ultra debitum, in suo robore remanere.

§ 14. « Ac decernentes, præsentibus litteris, et in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quod prædicti, et alii quilibet, etiam speciali nota et expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, seu causæ, propter quas eadem præsentibus emanarunt,

adductæ, verificatæ et justificatæ ullatenus fuerint, vel ex alia quacunque, quantumvis justa, legitima, juridica et privilegiata causa, colore, prætextu, occasione et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, seu interesse habentium, et aliorum quorumcunque consensus defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, limitari, ad viam seu terminos juris reduci, in jus vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcunque juris, facti vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu simili concessio quemquam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque ipsas præsentibus sub quibusvis similibus, vel dissimilibus constitutionum, ac declarationum, et extensionum revocationibus, limitationibus, suspensionibus seu aliis contrariis dispositionibus unquam comprehendi, aut comprehensas censi, sed semper ab aliis exceptas, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, et plenarie reintegratas esse, et censi, firmasque, validas et efficaces existere, et fore, ac ab omnibus, et singulis prædictis, et aliis, ad quos spectat, et pro tempore quodcunque spectabit, cujuscunque qualitatis, ordinis, gradus et conditionis fuerint, perpetuo, inviolabiliter et inconcusse observari.

§ 15. « Sicque, et non aliter, etc.

§ 16. « Non obstantibus de jure quæsitio non tollendo, et quod cardinales non comprehendantur sub regulis, et constitutionibus editis et edendis, nisi in eisdem facta fuerit ipsorum expressa mentio, ac cæteris nostris, et cancellariæ præfate regulis aliisque constitutionibus, etc.

§ 17. « Ut autem eadem præsentibus litteræ, etc.

§ 18. « Quodque illarum transumptis, etc.

« Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 2 Maii 1656, Pontificatus nostri anno secundo. »

Quæ const. fuit confirmata, innovata et extensa ab Innoc. XII, const. incip. *Sacerdotalem*, merito videnda in *Bullario*, et apud Ursayam, *Inst. crim.*, lib. II, tit. 2, post n. 117.

(36. Additur attendenda sequens resolutio sacr. congregationis Concilii de anno 1686, relata a toties laudato card. de Lambertinis volumine 5, notification. 7, ut sequitur.

Alexandrina augmenti dotis canonicatus.

Vacante a pluribus mensibus canonicatu in Ecclesia collegiata Sanctæ Mariæ de Nive jurispatronatus Fratrum de Mantellis, sacerdos Thomas Maria Verrus proposuit dictis patronis, se dicti canonicatus dotem aucturum fore mediante assignatione ejusdem vineæ, expressa tamen lege adjecta, ut ad eundem canonicatum debeat ab illis præsentari.

Timens nihilominus, id aliquam Simonie

labem involvere, pro conscientie suæ serenitate proposuit infra scriptum dubium, quo audito, et narratorum veritatem comprobante episcopo, relatum fuit in proxima congregatione per modum summarii.

Cum autem eminentissimi Patres mandaverint illud in folio describi, decernendum nunc superest.

« An dicta conventio sit Simonica? »

Sacra congregatio Concilii respondit:

« *Affirmative.* »

Vide cap. *Tua nos 34*, De Simonia, et Fagnan., *ib.*, n. 4.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(37. Tametsi statutum sit, ut refert auctor, n. 23, ne plures ad religionem admittantur, quam possit religio commode sustentare de suis proventibus aut consuetis elemosynis: nihilo tamen minus praxis in pluribus monasteriis invaluit, ut ab ingredientibus non solum pecuniam recipiant et exigant, sed etiam de eadem prævie stipulentur monasterii superiores.

(38. Soletque communiter ex hac ratione excusari praxis hæc, quod id fieri liceat ratione sustentationis ac juris ad eandem, pro quo aliquid ab ingredientibus recipi posse prætendunt auctores; idque in monasteriis non solum indigentibus, sed et opulentis.

(39. At *vide* qui materiam hanc funditus examinat, et pluribus distinctis casibus resolvit, et quidem rectissime, Cocq., *De jur. justit. et annex.*, cap. 4, sect. 9.

ADDITIONES CASINENSES

Ad tradita ab auctore sub num. 52.

Præstat hic ad majorem illustrationem traditorum sub num. 32 hujus articuli, afferre declarationes sacr. congregationis, prout exstant apud Garciam, qui sic habet: « Adeo * gratis dispensationes concedendæ sunt, quod ordinarii seu vicarii, quibus committuntur dispensationes matrimoniales, et aliæ, non possunt quidquam accipere pro labore, et receptione, et examinatione testium, vel alio quovis titulo, ut in sequentibus declarationibus sanctæ congregationis. « Gratis adeo dispensationes matrimoniales concedendæ sunt, quod etiam ordinarii, quibus istæ dispensationes committuntur, suum officium gratis præsent, ita ut nec ipse vicarius aliquid suscipiat pro mercede; notarius vero pro examinando testes, et sumendo cæteras informationes, quartam partem aurei seu ducati accipere possit, pro litteris vero absolutionum et dispensationum in foro conscientie tantum nihil a quoquam accipi possit, ut Romæ fit, declaravit S. D. noster Gregorius XIII. » *Alia*: « Gratis adeo dispensationes matrimoniales sunt, quod ii quibus committuntur, suum officium gratis præstare debent, examinando testes, et sumendo cæteras informationes; et vicarius episcopi nihil prorsus potest accipere sive pro laboribus in studendo processu, sive pro decreto super dis-

pensationibus matrimonialibus habitis a S. Sede Apostolica.

« Et ita etiam declaratum fuit a S. congregatione contra vicarios archiepiscopi Burg., ut per D. Joan. Vela supra quæ declaratio Burg. sic ait: « Officiales ordinariarum, nec ipsi Ordinarii pro dispensationibus matrimonialibus ad eos remissis, nihil possunt accipere, non obstante quacunque consuetudine, etiam immemoriali, in contrarium. »

Est etiam alia Hispalen. quæ sic ait: « Statutum concedens episcopis, ut certum quid possint accipere in causis commissariis, non habet locum in dispensationibus matrimonialibus, etiamsi factum sit in synodo provinciali; notarius autem quartam partem unius ducati accipere potest. »

« Et ideo in litteris dispensationum matrimonialium ponitur decretum, quod pro illarum executione nihil muneris aut præmii, etiam sponte oblatis, accipi possit, ut in clausula posita supra parte vi, cap. 2, num. 105. »

« Unde miror de officialibus seu vicariis aliquorum episcopatum hujus regni (Hispaniæ), et particulariter hujus episcopatus Abuleni, qui contra dictum decretum pro dispensationibus matrimonialibus, quæ in vim litterarum Apostolicarum conceduntur, certum stipendium, seu sportulas exigunt in magnum periculum animarum. »

« Et haud scio quomodo excusari possint ab excommunicatione contra eos lata in fine ipsarum dispensationum his verbis: « Volumus autem quod, si, sprete monitione nostra, hujusmodi aliquid muneris aut præmii occasione præmissorum exigere, aut oblatum recipere temere præsumpseris, excommunicationis latæ sententiæ poena innodatus tandiu existas, donec per satisfactionem condignam a Sede prædicta absolutionis beneficium merueris obtinere. » Et in litteris dispensationum pro pauperibus cum copula, quæ propter infamiam, concedi solent, additur: « Et nihilo minus absolutio et dispensatio per te faciendæ prædictæ nullius sint roboris vel momenti, » quæ clausula annullativa inducit formam, ut per D. in l. 1, *De liber. et posthum.*, et citatos part. sequent., cap. 2, n. 230. »

« Nec possunt excusari dicendo, prout aliqui dicunt, quod per dictum decretum non prohibetur accipere stipendium seu mercedem pro labore, sed donativum, et quod Hispanice dicitur, *cohecho*, quia utrumque clare prohibetur per dicta verba; per verbum enim *muneris* prohibentur donativa, seu *cohecho*, et per verbum *præmii* prohibetur stipendium, seu merces pro labore. »

« Nec rursus possunt excusari aliqua consuetudine, etiam immemoriali, ut patet ex dicta declaratione Burgen. Tum quia est corruptela, et abusus, præsertim stante dicto decreto Papæ. Tum quia est interrupta per dictum decretum apud Navarrum consilio 1, *De feriis*.

« Tum etiam quia illa non potest juvare contra speciale decretum et præceptum Papæ, qui omnino vult gratis dispensationes, P. Ravenas, *De consuet.*, sect. 3, num. 18. »

« Et ita fuit declaratum in illa Gerunden. ad 6, et juxta id in concilio provinciali *Mediolan.* 5, part. III, titul. *Quæ ad matrimonium pertinent*, sic statuitur: « Pro dispensationum matrimonialium executione, nihil quidquam prorsus muneris primitive etiam sponte oblatis, ac ne pro labore quidem, qui in testibus ea causa examinandis, aliisque testificationibus excipiendis ponitur, episcopus aut vicarius ejus capiat; notarii vero pro examine testium quartam duntaxat partem aurei ad summum capiant licet. »

« Unde plane convincitur contraria sententia Thomæ Sanchez, *De matrimonio*, lib. VIII, disp. 35, a num. 9, et aliorum, quos sequitur novissime Salas, *De legibus*, disp. 20, sect. 10, num. 99, dicens quod commissarii dispensationum possunt accipere stipendium non obstante clausula. »

Et in terminis * ita tenent Navarr., *Consilio ultimo de rescript.*, et Zerola, in *Praxi episcopali*, secunda parte, verb. *Delegatus*, § 2, et verb. *Dispensatio*, § 2, ubi affert declarationes sanctæ congregationis; Leo, in *Thesaur. eccles.*, cap. 17, num. 49, referens dictam declarationem Gerunden., et Sbroz., *De vicario episcopi* in addit. ad quæst. 36, ad lib. II, referens etiam declarationem Gerunden. et alias, et novissime Marcus Antonius Genuen., in *Praxi archiepiscopali curiæ Neapolitanæ*, cap. 25, num. 13.

Qui ait, quod delegatus, cui commissaria est dispensatio, nil potest percipere pro labore impenso in capienda informatione, et aliis actibus dispensationis ex claris verbis Brevis ibi: « Cujuscunque muneris aut præmii etiam sponte oblatis, neque esculenta aut poculenta, Navarrus, *Cons. de rescript.*, neque pro studendo processu, ut declaravit sancta congregatio, neque etiam pro accessu ad examinandos testes commorantes in aliis locis: si tamen esset pauper, quod crederet, quod ratione interesse, quod pateretur in accessu pro vecturis equorum, posset aliquid accipere, et pariter si post concessam dispensationem vellent impetrantes habere transumptum dispensationis, non videtur, cur aliquid a vicario accipi non possit, sicut pro transumpto aliarum scripturarum, cum id non concernat dispensationem, notarius vero pro actibus conficiendis, potest aliquid accipere, ut declaravit sancta congregatio. » Hæc Genuen.

Circa illud autem, quod ibi ait, quod pro accessu ad examinandos testes commorantes in aliis locis, non posset aliquid accipere, nisi esset pauper, videtur quod absolute posset recipere moderatas expensas, si expediret eum extra suum domicilium proficisci ad illos examinandos (et non committere examen, nec cogere testes, ut ad se veniant), juxta declarationem sanctæ congregationis Concilii in una castri Da-

rantis, quæ sic ait: « Episcopus potest, sed non cogitur concedere litteras dimissionis ordinario inferiori, pro examinandis testibus in executione dispensationis matrimonialis; potest autem cogere testes, ut ad se veniant. Argum. cap. *Statutum*, § *Insuper de rescr.* in 6. »

« Præterea, circa illud de transumpto videtur, quod sit intelligendum de transumpto ultra instrumentum dispensationis, pro quo instrumento dandum cum litteris originalibus, seu bulla dispensationis, aut earum transumpto, nihil potest delegatus accipere, etc. Ita in terminis Gargias, *De benefic.*, part. VIII, cap. 1, n. 100 et seq.

ARTICULUS III.

Quoad ea quæ concernunt pœnas Simonie, et restitutionem Simonie acceptorum.

SUMMARIUM.

1. Ob solam et omnem Simoniam realem (confidentiali excepta) incurruntur ipso facto juris pœnæ. — 2. Et quidem per *Simoniam mentalem* nulla incurruntur juris pœnæ. — 3. Item nulla incurruntur juris pœnæ per *Simoniam conventionalem*, sive pure conventionalem, sive conventionalem mistam. — 4. Prima pœna contra Simoniam realem in ingressu religionis commissam, est, quod tam dantes quam recipientes aliquid Simonie, si sint personæ singulares, excommunicationem, si conventus in communi, suspensionem ab officio capitulari ad jurisdictionem vel administrationem pertinentem ipso facto incurrant. — 5. Secunda est, quod religiosi Simonie recepti expellantur de suo monasterio, et in arctiori monasterio ad agendum ibi penitentiam detrudantur, et superior, et majores personæ monasterio detrudantur. — 6. Tertia est, quod rei Simonie pro ingressu religionis incurrant infamiam juris, et consequenter evadant irregulares, saltem si crimen sit notorium notorietate juris, aut facti. — 7. Professio tamen illorum adhuc est valida. — 8. Et ante emissam dictam professionem pœnæ ipso facto non incurruntur. — 9. Quamvis moniales sufficientes, et abundantes redditus pro honesta sustentatione ingredientium habentes, si pro ingressu ad religionem aliquid temporale exigant, æque ac alii regulares veram Simoniam committant, tamen pœnas juris non incurrunt. — 10. Prima pœna contra Simoniam realem in collatione et susceptione ordinum commissam, est, quod tam conferens, quam recipiens ordines per Simoniam realem sit ipso facto excommunicatus. — 11. Secunda est suspensio ordinantis a collatione ordinum saltem per triennium, et ordinati, donec ab ipsa suspensione fuerit per Sedem Apostolicam absolutus, etc. — 12. Tertia est, quod ordinatus scienter Simonie præter excommunicationem, quam ipso facto incurrat, sit suspensus ab executione omnium suorum ordinum, non solum Simonie susceptorum, sed etiam aliorum, quamvis Simonia sit occulta. — 13. Prima pœna contra Simoniam realem in beneficiis ecclesiasticis commissam, est, quod tam illi, qui aliquid beneficium, seu officium ecclesiasticum, sive saculare, sive regulare Simonie conferunt, aut directe vel indirecte procurant, quam illi, qui ipsum sic acquirunt, incurrunt excommunicationem. Papæ reservatam. — 14. Secunda est, quod collatio, provisio, et acquisitio hujusmodi beneficii aut officii Simonie facta, sit ipso jure irrita et nulla, ita ut provisus teneatur sub animæ suæ damnatione illud sponte dimittere, et ad restitutionem omnium fructuum, si quos inde perceperit. — 15. Tertia est, quod qui Simonie hujusmodi beneficium seu officium obtinuit, illud utpote nulliter obtentum ante

omnem sententiam, non solum dimittere teneatur, sed ad alium obtinendum perpetuo inhabilis evadat, nisi Papa dispense. — 16. Quarta est, quod qui Simonie aliquid hujusmodi beneficium, aut officium, obtinuit, sit etiam inhabilis ad quæcunque alia beneficia ecclesiastica obtinenda. — 17. Quinta est, quod, qui Simonie obtinet aliquid hujusmodi beneficium aut officium, sit privandus per sententiam judicis etiam aliis beneficiis prius canonice obtentis. — 18. Sexta est, quod qui Simonie obtinet aliquid hujusmodi beneficium, sit per sententiam judicis etiam ab altaris ministerio perpetuo deponendus. — 19. Supradictas pœnas inducit etiam Simonia juris ecclesiastici in resignatione et permutatione beneficiorum commissam. — 20. Qui beneficium per Simoniam ab alio commissam obtinuit, tenetur illud etiam ante judicis sententiam dimittere, quamprimum rescit Simoniam esse commissam. — 21. Non tenetur autem beneficium dimittere ille, in cujus odium, ipso ignorante, Simonia ab alio commissam est. — 22. Item non tenetur beneficium dimittere, qui contra Simoniam ab alio pro beneficio obtinendo committendam expresse protestatur, quamvis ipse alius, ignorante dicto expresse contradicente, in *Simoniam* pergat, eaque mediante, beneficium revera obtineatur. — 23. Teneatur tamen beneficium dimittere, si sciret, quod dictus alius, non obstante contradictione, et protestatione sua, nihilominus in *Simoniam* pergeret, eaque mediante, beneficium obtineret. — 24. Et a fortiori teneatur tale beneficium dimittere, si per *Simoniam* alterius fuisset obtentum, sciente et non contradicente ipsomet, pro quo fuisset obtentum. — 25. Qui se ignorante aut omnino nesciente per *Simoniam* alterius est ordinatus, de rigore juris, donec dispenseatur, tenetur ab executione ordinis abstinere, postquam *Simoniam* ordinationem resciverit. — 26. Prima pœna *Simonie* confidentialis est, quod præter excommunicationem ipso facto ratione ipsius incurrendam, privet non solum beneficium, circa quod *Simonia confidentialis* commissam est, sed etiam aliis beneficiis et pensionibus canonice obtentis. — 27. Secunda est, quæ inhabilem reddat totaliter *Simoniacum* ad idem, et alia quæcunque beneficia obtinenda. — 28. Tertia est, quod beneficium per *Simoniam confidentialem* nulliter acquisitum reservetur Summo Pontifici, ita ut nullus alius illud conferre valeat. — 29. Quarta est, quod fructus ex tali beneficio male percepti applicari debeant cameræ Apostolicæ. — 30. Quinta est, quod præfate pœnæ contrabantur, non solum per *Simoniam* realem, sed etiam per *Simoniam* conventionalem mistam. — 31. Quæ sint pœnæ statute contra dantes, vel promittentes pecuniam, seu temporalia pro obtinenda justitia seu gratia apud Sedem Apostolicam. — 32. Qui obtinuit *Simonie* beneficium aut officium aliquid ecclesiasticum, tenetur sub mortali sponte illud una cum omnibus fructibus perceptis ante omnem judicis sententiam restituere ac dimittere, etiamsi *Simonia* sit occultissima. — 33. Qui temporale accepit sub conditione seu pacto dandi vel præstandi spirituale, et postea conditionem seu pactum non implevit, tenetur jure divino, seu naturali restituere totum acceptum. — 34. Qui pro electione, presentatione, nominatione, etc., alicujus ad beneficium, seu officium ecclesiasticum, aliquid temporale recepit, tenetur illud restituere ante omnem judicis sententiam. — 35. Et quidem ad talem restitutionem tenetur de jure divino. — 36. Qui temporale accepit ratione beneficii ecclesiastici, tenetur illud restituere Ecclesiæ, in qua est beneficium, non ipsi danti, præsertim per sententiam judicis. — 37. Vel pauperibus. — 38. Ante sententiam tamen judicis posse, imo deberi *Simonie* accepta restitui illis, a quibus sunt accepta, defendunt plurimi. — 39. *Simonie* accepta ob ingressum in religionem, an